

Mox post redditum in patriam, eudem Academiæ Cancellario indicavit Prof: Buchwald, missis simul Tuis literis commendatitiis; à qvo tale responsum tuli, qvod Regi nostro Clementissimo Tuas ac Buchwaldi ostendisset literas, Rex quoqve retulisset, se datâ occasione mei fore memorem, si in posterum studia à me incepta cum eodem ac hactenus continuassem ardore; quantum verò ex tali promisso ad me redundat lucrum, cuique facillimè patet.

Professor Buchwald et ego cunctis allaboramus viribus, ut proximo anno ad Indiam orientalem vel qvandam Africæ oram mihi daretur accessus.

Nullas hic inveni plantas sponte crescentes, nec insecta præter ista, qvæ vel in Flora Tua Svecica vel Fauna allata ac descripta sunt; Solâ Lactuca folio et caule spinoso exceptâ; sed longius ab urbe iter impedivere pluviae continuae.

Vidi Zoophyton a Cl. Wormio in proprio Museo sub nomine Stellarum arborescentium descriptum, qvod in Mari Norvegico captum ad nostram Societatem misit Episcopus Nidrosiensis. An à qvodom alio Auctore descriptum, an figura apta illustratum sit, simulqve qvalis ei à Te assignata sit differentia specifica, Iubentissime scire vellem.

Episcopus Bergensis Norvegiæ nomine Pontopidian variis Historiæ et antiquitatum scriptis antea clarus, in conscribenda plurimisqve figuris æneis illustranda Historia Naturali Norvegiæ occupatus est, ad qvod opus promovendum 500 Imperiales (vulgo Rixdaler) illi donavit Rex noster clementissimus; quomodo verò tale in se susceptum opus expediet, eventus docebit.

Seqventi anno fortè duo studiosi natione Islandi ad Islandiam mittantur historiæ naturalis indagandæ ac describendæ ergo; sed cui usui? dum nullus horum solidis ac veris Historiæ naturalis fundamentis imbutus est.

Uxori Tuæ dilectissimæ plurimam à me dic salutem, humillimasque simul ac immortales meo nomine refer grates pro cuncta erga me benevolentia summaqve humanitate. Saluta meis verbis Filium tuum amicissimum, Filias charissimas,